



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

63 S. Ioachim Bar-pantheris F. S. Anna Ioachimi Vxor. Epithalamium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

## S. JOACHIMUS

BAPANTHERIS FILIUS.

S. ANNA JOACHIMI UXOR.  
EPITHALAMIVM.

Descende Cælo ubi nil agis sanctissime Hymen,  
Duas extra Cælum Cælestes Animas copulaturus,  
Joachimum & Annam,

Illum Regiâ, hanc Sacerdotali stirpe.  
Ut dotali utroque apice, Nepotem instituant,  
Inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem.  
Agè: jugalibus nodis quos Æternitas nexuit,  
Cor geminum stringe, vel unicum divide?

Ut alter Sponsus ex altero spiret.  
Sed heu spinosa primordia! initio planges, dum panges!

Ultrâ viginti annos sterilis ille thalamus,  
Nihil nisi lachrymas gignet,  
Sed verte statim lætioribus hanc nœniam.

Nam sterilis Patens,

Majorem prolem utero capiet, quam mente.  
Stupente rerum Naturâ

Tam factam, quam factum extra tuas leges.  
Addenavam inter fœminas laudem,  
Citrà Sobolis crimen Matrem fieri.

Nam cæteræ, Carnifices antequam Matres,  
Partum conficiunt dum concipiunt.

Unoque momento,

E Cælo demissam Animam Orso exponentes,  
Vitam & largiuntur & lethum,

Sola Maria Parentis honos, non onus,

Maternum uterum condecorabit intrandõ,

Nec deerunt puerperio præsagia.

Renascente enim Templo nasceretur Virgo.

Alteram Dei Domum parabit Anna, alteram

Herodes reparabit.

In alterâ Numini fient victimæ,



In altera victima fiet Numen.  
 Crescet cum Prole Parentum felicitas.  
 Nam mutuo repignerati amoris officio,  
 Filia ex Parentibus, per Fliam Parentes vivent,  
 Ita Joachimi Penates alterum Cœlum meritò voces:  
 Ubi Sacra Familix Trias,  
 Corporibus tripartita, Animis una.  
 Genitor, Genitrix, Gesita.  
 Beabitur, & beabit.  
 Omnia denique in unum vota colligent  
 Longævi Conjuges;  
 Cum sese Numinis Avos mirabuntur.  
 Tanta gaudia,  
 Nec illi ferre, nec tu dari potes. Tace.

## S. JOSEPH.

JACOBI FILIUS : VIRGINIS SPONSUS.

## TITULI.

Senis hujus magnitudinem, tergemino merite Titulo,  
*Vir MARIÆ fuit.*  
 Solus minorum toto Orbe selectus,  
 Viragini Vir, Virgini Virgo.  
 Fortunatum Conjugium,  
 Cui dexter Ales Angelus.  
 Divinitas Pronuba, Flammeum Flamen, Dos Verbura,  
 Unica hæc Hymenæi teda fumo caruit,  
 Virgineo candore non denigrato.  
 Jugalia hæc vincula nihil strinxere præter Animos,  
 Nec ultra amorem ivere amantium vota.  
 Nec novum Josepho, Dôminæ nolle misceri.  
 Dubito nuptialem cælibatam, an cælibes nuptias vocem,  
 Nam Sponsæ contubernio, Sponsi virginitas geminatur:  
 Novoque miraculo, forma pudicitix suffragatur.  
 Deniq; sic Palmæ nubunt.  
 Hinc alter ille, majorque Titulus:  
*Pater J E S U fuit.*

K 3

Quippe